HEMISPHÆRIUM ORBIS ANTIQVI

CUM ZONIS, CIRCULIS, ET SITU POPULORUM DIVERSO.

HEMISPHÆRIUM ORBIS ANTIQUI, cum Zonis, Circulis, & situ Populorum diverso hic TYPUS COSMOGRAPHICUS, conspiciendum offert. *Orbem Antiquum* vocamus *Terreni Globi* Portionem illam, quam *Veteres* cognitam & perspectam habuêre, eâ opinione imbuti, aut aquis vastissimis, aut partim maribus, partim terris incultissimis reliqua esse repleta, ad quæ aditum ipsis ignorantia præclusit. Ignorantia, inquam, quam proxima secula nostra detexerunt, communi lege manifestationis, cuncta temporis progressu patefacientis, in apertum producentia maximam *Globi Terrestris* partem *Veteribus* incognitam fuisse. Nam perlustratione suâ non transgressi sunt Longitudinis, principium suum à *Meridiano Primo* in Insulis Fortunatis, sive hodiernis Canariis, ut Doctorum haud pauci autumant, sumentis centesimum octogesimum gradum, & in *Latitudine Boreali* sexagesimum tertium, atque in *Latitudine Australi* decimum septimum aut octavum gradum non superaverunt, quod in *Præcedente Typo Cosmographico* indicatum est. In Antiquo autem hoc Circuitu nova Loca consignata leguntur, ut ex his novis *Lector Benevolus* cognoscat, quibus limitibus *Veterum* navigationes, & peregrinationes, ex ipsorum historiis, & rebus gestis notæ, circumscribi solcant. Cis *Æquatorem Europæ*, *Asiæ*, & *Africæ* maximam partem peragrarunt, & plæraque illarum partium trium loca mortales incoluerunt: Trans Æquinoctialem Lineam haud grande spatium peragrantes brevioribus finibus suam cognitionem terminare coacti sunt.

Orbis Antiquus.

Cognitionis antiquæ limites.

Licet autem tàn angustis terminis septam Sphæræ Terrestris notitiam habuerint, nihilominus tamen *Sphæram Rectam Cælestem*, & *Sphæram Terrestrem* in *Zonas* & Regiones suas distributam certis *Circulis* dimensi sunt, atque Populos in Terrenâ Superficie per varias Terras dispersos, diversorum situum, habitationum, aliorumque accidentium ratione distribuerunt: quibus omnibus illustrandis *sequens Descriptio* inserviet, cui *Generalem Tabulam* præmittemus *Puncta*, *Circulos*, & *Populorum situs*, ordine brevi & generali, ob oculos ponentem, & *Sphæræ Armillaris* partes exhibentem.

Divisio Sphæræ Rectæ, & Orbis Terreni in Zonas &c.

SPHÆRÆ ARMILLARIS TABULA METHODICA.

- DIVISIO SPHÆRÆ TERRESTRIS IN QUA
  - PUNCTA
    - POLUS
      - ARCTICUS
      - ANTARCTICUS
  - CIRCULI.
    - MAJORES SEX.
      - COLURI
        - SOLSTITIORUM
        - ÆQUINOCTIORUM.
      - HORIZON
        - RATIONALIS
          - RESPECTU TERRÆ.
            - RECTUS.
            - OBLIQUUS.
          - RESPECTU COELI
            - PLANUS.
            - TURBINATUS.
        - SENSIBILIS.
      - ZODIACUS, CUJUS
        - LATITUDO, XVI. GRADUUM.
        - LONGITUDO, ECLIPTICA, IN XII. SIGNA DISTRIBUTA.
      - ÆQUATOR, SEU ÆQUINOCTIALIS.
      - MERIDIANUS
        - MAGNUS, SIVE PRIMUS FIXUS.
        - VULGARIS.
    - MINORES QUATUOR
      - TROPICUS UTERQUE
        - CANCRI.
        - CAPRICORNI.
      - CIRCULUS POLARIS UTERQUE
        - ARCTICUS.
        - ANTARCTICUS.
  - SITUS POPULORUM
    - SUB ZONIS QUINQUE
      - FRIGIDA
        - BOREALI.
        - AUSTRALI.
      - TEMPERATA
        - BOREALI.
        - AUSTRALI.
      - TORRIDA.
    - RATIONE UMBRARUM
      - AMPHISCII IN ZONA TORRIDA.
      - HETEROSCII IN ZONIS TEMPERATIS.
      - PERISCII IN ZONIS FRIGIDIS.
    - RATIONE HABITATIONUM
      - PERIOECI.
      - ANTOECI, SEU ANTOMI.
      - ANTIPODES, SIVE ANTICHTHONES.
    - RATIONE DEXTRÆ ET SINISTRÆ
      - OCCIDENS, ORIENS, MERIDIES, SEPTENTRIO
        - SINISTRA
          - GEOGRAPHIS
          - ASTROLOGIS
          - POETIS
          - SACERDOT.
        - DEXTRA
          - ASTR.
          - GEOG.
          - POET.
          - SACER.

SPHÆRA

ANDREAS CELLARIUS PALATINUS *Harmonia Macrocosmica* AMSTERDAM, 1661 THE WARNOCK LIBRARY Octavo